

Christoph Helwig

Luctuosissimis Exequiis Quas Viro Incomparabili Generoso & Magnifico Dn. Davidi Mevio, ICto, S.R. Mtis. Sueciae Consiliario intimo ... Coniux Et Liberi Moestiss. Wismariae XX. Septembr. parabunt & Prosperae Tanti Viri Memoriae Senatus Concilii Academici ... Decrevit. Ad quarum ascultationem Utriusque Reipublicae & Reverendi Ministerii Patres, omnium ordinum Academicos, Bonosq[ue] adeo omnes officiose & peramanter invitat : [P.P. Gryphiswaldiae XVII. Septemb. cl Ic LXX.]

Gryphiswaldiae: Doischerus, [1670]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770475817>

Druck Freier  Zugang



Helwig, C.,
in
D. Mevius.
Gryphisw, 1670.

LUCTUOSISSIMIS EXEQUIIS

QUAS

VIRO INCOMPARABILI
GENEROSO ET MAGNIFICO

DN. DAVIDI MEVIO,
Jcto,

S. R. M^{tis}. Sueciæ Consiliario intimo, Sum-
miq; Tribunalis Wismariensis Vice-Præsidi eminentis-
simo, Hereditario in Brönnechow / Baggendorff
& Sarrentin/ Academia Gryphicæ Antecessori
& Seniori Præclarissimo,



MARITO. DESIDERATISS.
PARENTI OPT. MERITO.
CONJUX ET LIBERI

MOESTISS.

Wismariæ XX. Septembr. parabunt
&

PROSPERÆ TANTI VIRI MEMORIÆ
SENATUS CONCILII ACADEMICI
GRATITUDINIS ET OBSERVANTIÆ
MONUMENTUM. ERECTURUS

ORATIONES PANEGYRICAS

DECREVIT.

Ad quarum auscultationem

Utriusque Reipublicæ & Reverendi Ministerii Patres,
omnium ordinum Academicos, Bonosq; adeo omnes
efficiose & peramante invitare

RECTOR ACAD. GYPHISW.

CHRISTOPHORUS HELWIGIUS, Doctor
& Professor Medicus, Civitatis Physicus.

Gryphiswaldiæ apud Marthæum Doischerum Acad. Typogr.



Rudentissimos quosvis Legum
 Conditores & Juris Interpretes, è Ze-
 nonis & Chrysippi potissimum Schola,
 prodisse & cum illis bene vivere, quam
 cum aliis argute disputare maluisse, con-
 stans est Eruditorum opinio. Cùm enim
 omnia vitæ felicitate metirentur, resq̃
 ab usu potius quam à jucundo aut admi-
 rando describerent, quibus post publi-
 cam privata salus lex erat suprema, non tam numeros & motus
 tractabant, siderumve cursus, intervalla ac magnitudines observa-
 bant, quam devotam è caelo Philosophiam in urbes & domos in-
 troducebant, & vitam potius & mores, licitumq̃ & illicitum, quam
 ortum & interitum rerum inquirebant. Quæ quidem æqui & ini-
 qui investigatio quamvis olim cùm Socrate nata cum Platone Cyni-
 cisq̃ adoleverit, in Stoicis tamen virilis ætatis demùm consequuta est
 maturitatem. Nulla quippe ex innumera ferè præscarum sectarum
 multitudine masculinum animis robur induere, dignosq̃ Sapiente Spi-
 ritus afflare potuit præter illam, quæ prodiit è Stoa. Hæc adversa
 fortiter, prospera moderatè ferre, & nihil admirari, nihil temnere,
 sed similem utrique fortunæ obvertere vultum docuit. Quod si per
 præcipua Doctrina hujus capita ire libet, quam vicina fidei nostræ
 Christianæ, quamq̃ digna homine sapiente fuerit, apparebit. Sum-
 mum hominis bonum in quodammodo, quam convenientiam appellat
 Tullius, reposuit Zeno, cùm felicem dixit, qui convenienter vivit.
 Cùm autem exemplum, ad quod vitam exaret, non nisi à summa
 DEI convenientia & perfectione peti posset, rectè Præceptoris sui
 sententiam auxit & Convenienter Naturæ vivere felicitatem esse
 Cleantes pronuntiavit. Si enim, teste Seneca, nihil aliud est natu-
 ra quam DEUS & Divina Ratio toti mundo & partibus ejus in-
 ferta,

*ferta, quid quaso aliud intellexerunt, quam DEO parere & juxta
 ipsius voluntatem vivere summam felicitatis esse. Ex hoc Epictetus
 apud Arrianum laudat illud Zenonis, τέλος ἐστὶν αὐτῶν τὸ ἐ-
 πεῖθαι Θεῷ: Finis hominis est sequi DEUM, & in Enchiridio cujus-
 vis vitam formari vult, εἰς τὸ πεῖθεσθαι Θεῷ, καὶ ἕκαστον πᾶσι τοῖς γι-
 νομένοις, καὶ ἀναγκαῖον εἶναι ὡς ὑπὸ τῆ ἀρείστης γνάμης Ἰπικλα-
 ρδοῖς, ita ut DEO pareamus & acquiescamus omnibus, quae eveni-
 unt, eaque tanquam ab optima mente profecta volentes sequamur.
 In hunc sensum Seneca, Sapiens, inquit, quicquid evenerit, sciet
 legem esse naturae, habebitque in animo illud vetus praeceptum, DEUM
 sequi. Quid potuit sanctius ab homine Christiano dici? Sapien-
 tem pedisequum & imitatorum DEI facere; anne legibus nostris
 est convenienter, quae nostri nos Ducis ac Servatoris JESU CHRISTI
 fideles & pedisequos & imitatores esse volunt. Erant quidem ex
 ipsis Stoicis Chrysippi discipuli, qui secundum naturam se videre pu-
 tabant, cum recta ratione uterentur; verum non pugnant, nisi in-
 speciem recta ratione uti & DEUM sequi. Neque enim DEUM si-
 ne ratione sequi, neque sine DEO recta ratione licet uti. Vir bonus,
 inquit Seneca, sine DEO nemo est: Ille dat consilia recta & magni-
 fica. Quicquid facimus boni, qui Christiano nomine gloriamur,
 DEO unico ferimus acceptum, sine quo nihil sumus. Quod si la-
 tine loqui voluisset D Paulus, cum nostram nobis ob oculos posuit in-
 firmitatem, qui sine Divina ope per nos ipsos ne quidem bene cogi-
 tamus, DEI autem clementia ac misericordia templa & domicilia
 Spiritus Sancti sumus, non puto rectius, quam cum Seneca dixisset,
 Animum rectum bonum magnum DEI in humano corpore hospi-
 tantem esse. Quid haec Christiano dignius, quam hymnos, quos
 à Sapiente suo exigit Epictetus apud Arrianum, DEO canere, eisque
 pro collatis beneficiis gratias agere? ὅτι ἐδὲ καὶ σὺ ἀπὸ τῆς καὶ ἀρετῆ-
 τας καὶ ἐδιδούσας ἀδελφὸν τὸ ὕμνον τὸ εἰς τὸ θεόν. μέγας ὁ θεὸς ὅτι ἡμῖν
 παρέχεν ὄργανα τῶντων, δι' ἃν πλὴν γῆν ἐργασώμεθα. μέγας ὁ θεὸς
 ὅτι χεῖρας δέδωκεν, ὅτι κατὰ πῶτον, ὅτι κελίαν, ὅτι ἀυξοῦσθαι λεληθό-
 τως.*

Ἰωσ. ὅτι καὶ θεῶδοντος ἀναπέειν. αὐτὰ ἐφ' ἑκάστῃ ἐφουρνῆν δέ, καὶ
τῶν μεγίστων καὶ θεῶτα τῶν ὕμνων ἐφουρνῆν, ὅτι τῷ δυνάμει ἔδωκε, τῷ
ᾧ καὶ κολακῆτικῶ ἴστων καὶ ὁδῶ χρηστικῶ. Nonne & fodientes de-
cet & arantes & comedentes canere hymnum DEO. Magnus DEUS,
qui nobis instrumenta haec, quibus terram coleremus, exhibuit; ma-
gnus, qui nobis manus, qui deglutitionem, qui ventrem, qui incre-
menta corporis occulta, qui sub somno respirationem dedit. Pro his
universis laudare DEUM decet, & maximum divinisimumq; hy-
mnum accinere, quod dederit nobis facultatem assequentem haeo-
mnia, ac certā viā rationeq; iis utentem. Tam pia de DEO & de-
bita DEO obedientia opinio mores peperit inculpato, fecitq; Stoicos
praeceteris vitā integros, scelorum puros, vitiorumq; inimicos capita-
les. Vitia tua, oro te, mi Lucille, inquit Seneca, persequere sine fi-
ne, nam illis quoque neque modus est, neque finis. Quae si abstra-
hi nequirent, cor ipsum cum illis revellendum esset. Quis non anim-
advertit hic illud Christi praecipuum, Si vel oculus vel pes tibi tuus sit
scandalo, praestat ipsum a te, quam te a DEO avelli. Summa reli-
gionis nostrae in eo est, ut DEO serviamus & proximo studeamus,
quod Stoicos maximè conatos fuisse accepimus. Nulla secta, inquit
Seneca, benignior leniorq; est, nulla amantior hominum & commu-
nibus bonis attentior, ut propositum sit ei usui esse & auxilio. Nulla
igitur dignior fuit, quam amplecterentur Juris prudentes, & pra-
cipue quos penes arbitrium aequi boniq; stabat, quam Sapientum illa
suavis nutricula, porticusq; severioris filia. Solus apud Stoicos sa-
piens liber, solus dives est, & ἀπορῆς ἢ δεσπῆ πᾶσι εὐδαιμονίας,
seipsa contenta est virtus ad beatè vivendum. Sapiens Christiano-
rum pietas tanti aestimatur, ut illam possidentes soli sint divites. So-
li enim, quod de Stoicis dixit Tullius, possident res & fructuosas &
sempiternas, soli, quod est proprium divitiarum, contenti sunt
rebus suis, satis esse putant, quod est: nihil appetunt, nulla re e-
gent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt. Sapiens ἀταρῆς &
ἀμπυρῆς est, neque gaudio exultat, neque luctu deprimatur,
sed

sed morum sanctimoniam, prudentiamq; innocentem cuius fortuna
na opponit. Apud Stoicos is demum

Rex est, qui posuit metus

Et diri mala pectoris,

Qui tuto positus loco

Infrà se videt omnia,

Occurritq; suo libens

Fato, nec quæritur mori.

Toto vagaberis orbe nec alibi Regem illum quam inter Christianos
invenies, qui extra omnem metum dirig; pectoris cruciatus in tutela
Angelorum latitant,

Atque metus omneis, & inexorabile fatum

Subjiciunt pedibus, strepitumq; Acherontis avari,

& inania illa opum, honorum, gloria nomina, quibus decipiuntur a-
nimi vulgares, infrà se vident, nihil desiderant magis, nihil latius
subeunt, quam fatalem illam horam, quæ vita hujus turbis animum
tranquillitatis avidum eximit & sede quietis aternæ locat. Uti a-
pud Stoicos - - - Sapiens uno minor est Jove, Dives

Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum,

ita solis Christianis cum D. Paulo exclamare licet: Sumus quasi mo-
rientes & ecce! vivimus, quasi tristes, sed semper gaudentes, sicut
egentes, sed multos locupletantes, tanquam nihil habentes & omnia
possidentes. Regia Majestas Christi discipulis ab Apostolo tribuitur,
cum omnia ipsis vindicat, 1. Corinth. 3. 22. immò Reges nos fieri in
Apocalypsi disertè D. Johannes scribit. Quorsum autem pluribus

notissimam Stoicorum sapientiam cum Christianæ religionis doctrina
compono, si nemo ignorat, ab Hebræis ad Græcos & ab illis ad Roma-
nos veram sapientiam esse profectam. Quorsum de prisorum

Jctorum in hanc hæresin affectu loquor? Si in Jctorum nostri se-
culi facile Principe Magno nostro MEVIO, quicquid in Stoica sa-
pientia, Christiana pietate & prisorum Jctorum ingeniis mira-
mur, tanquam in promptuario quodam conclusum & à DEO in pu-
blicos usus reconditum fuisse novimus omnes. Nihil ille magis in vo-
tis habuit, dum rebus mortalium interfuit, quam ut convenienter
Naturæ ejusq; Autori DEO, convenienter sanæ Rationi & natis ex ea

legibus viveret, convenienter etiam, cum olim avocaturus esset DEUS,
 moreretur, vivens scilicet & moriens semper DEUM sequuturus.
 Prolixius igitur nonnihil vitam & obitum ipsius cum enarravero, Vi-
 ri sapientis, Stoici Christiani, pię, Jcti idam vivis me coloribus
 depicturum esse confido. Natus est in ipsa Sapientia sede Pomer-
 nica Gryphis Athenis Anno hujus seculi nono, mense ~~Septem~~ ^{Septem} ~~bris~~ ^{bris}.
 Patrem habuit à Juris peritiã & consiliorum gravitate commenda-
 tissimum Virum, Nobilissimum, Amplissimum & Excellentissimum
 DN. FRIDERICUM MEVIUM, Jctum, Academia hujus Ante-
 cessorem celeberrimum & Consistorii Ducalis Assesorem optimè me-
 ritum, Matrem Matronam pietate & virtute conspicuam DN. ELI-
 SABETHAM **Rhawen**. Per Patrem habuit Avum Virum
 Nobiliss. & Amplissimum DN. THOMAM MEVIUM, J. U. D.
 & in hac Academia Antecessorem longè celeberrimum, & Aviam
 Feminam Lectissimam DN. ANNAM **Falcken**. Per Matrem
 numerat inter majores Avum Virum plurimum Reverendum & Ex-
 cellentissimum DN. BALTHASAREM **Rhawen/SS. Theol. D.**
 & in hac Academia Professore Clarissimum, & quatuor Illustrissi-
 morum Pomeranię Principum Ephorum prudentissimum, Aviamq;
 Feminam castissimam ANNAM **Schurffen**. Proavus Pater-
 nus unus, Amplissimus DN. JOACHIMUS MEVIUS, Stargar-
 dię ad Inam Consul; Alter vero Nobilissimus & Consultissimus DN.
 JOHANNES **Falcke** / Celsissimorum Pomeranię Ducum Cancel-
 larius. Proavia Paterna una DN. GERTRUDIS **Appelmans**;
 Altera DN. SYBILLA **Brückmannin**. Proavus maternus
 unus DN. JACOBUS **Rhaw** / Consul Neostadiensis in Silesia;
 Alter DN. AUGUSTINUS **Schurff** / Medicina D. Serenissimi
 Electoris Saxonie Archiepiscopus & Professor Witebergensis. Proavia
 materna una DN. ANNA **Prüben**; Altera DN. ANNA
Krappen / D. HIERONYMI **Krappen** / Senatoris Wite-
 bergensis, filia. Hisce Proavis splendidoq; hoc genere gloriari no-
 ster potuisset, nisi pulchrius esset, suã potius virtute, quam fumosis
 Major

Majorum ceris censeri. Interea, cum sit in natis Patrum virtus, fieri non poterat, quin à Themidis & pietatis Antifitibus genitus, utriusque studium toto vita sua cursu sectaretur: Vix exclusus in auras & adhuc à Matre rubens DEUM sequi didicit, eiq; in sacrosancto regenerationis lavacro per sponsores suos obedientiam promissit, cumq; nomine D A V I D I S Regia pietati & sapientia initiatus, magnarum virtutum semina concepit. Nihil piis Parentibus antiquius fuit, quam ut illa omnis boni capaci ingenio, tanquam leto cuidam fecundoq; insererent agro. Si qua, ut in pingviori solo fieri amat, luxuriabant ignavia lappa & morositatis tribuli, aliave hujus generis & atatis vitia, toti in eo erant, ut quantocyus eradicarent, ne succrescenti quotidie sapientia & virtuti subtraherent succum & olim essent obstaculo. Audivimus ex ipso beate defuncto, inde à teneris unguiculis non bene sibi & otio convenisse, sed, ne nihil agendo male agere disceret, semper sibi aliquid agendum fuisse. Scilicet id est, quod ad illud sapientia & honorum fastigium, è quo oculis ipsum nostris surreptum esse dolemus, exivit, quod inde à primis crepundiis studii sapientia invigilavit, & sub optimis Præceptoribus pueritiam transegit, vitaq; totius sapiens rudimentum posuit. Intelligebat prudentissimus Pater educatione puerorum mores componi, facileq; teneros adhuc animos formari, nec parum ad vitæ felicitatem & pietatis amorem conferre, si virtutum fundamenta ab ineunte atate jactantur. Corrupta enim educatio, malorumq; Præceptorum societas fomes est vitiorum, quæ ubi semel in scii combibimus, quasi morbi quidam nobis congeniti adulescunt & radices altius demittunt, quam ut leviter eruantur. Adeo studiosè cavendum, ne in summum jactura discrimen, quæ nobis sunt charissima, adducamus, præsertim cum longè gravius periculum sit in disciplinis quam in cibis emendis, nec tam utilis regio & clementius cælum valetudini proffit, quam animis parum firmis in turba meliorum versari. Ita igitur Noster Parentum curâ formatus & ita melioribus semper præceptis imbutus, meliorumq; socius fuit, ut per anfra-

ctuosæ

Etiosa sapientia legumq; precipitiâ salebrosam iter feliciter emen-
sus, anno hujus seculi XXXIV. atatis sua XXV. magno suo merito
Doctōrali Laureâ coronatus & in numerum Professorum Juris Ex-
traordinariorum sit receptus. Vix elapsus erat annus, cū nescia
delitescere Virtus Ordinariis ipsum intulit, & inter Academiæ Pa-
tres dignum præcoci sapientia locum concessit. Citius ignem cine-
re, quàm Virtutem fortunâ tegi & obnubilari suo docuit exemplo,
cū anno 1638. à vicinis Stralesundensibus Syndici munus ipsi of-
ferretur, & in Senatu quod populi Caput est, oris vice fungeretur.
Hic demum se pandebat gloria publicæq; utilitatis, cui suo quodam
fato erat destinatus, spatiosus campus. Domi forisq; eâ dexterita-
te negotia gessit, ut prudentiam, fidem, consilium, animi magnitu-
dinem, & incredibilem industriam Civibus suis Sacræq; Regiæ Ma-
jestati Sveciæ, quam publicus Civitatis Orator adiit, dicendi illam
vim, quâ pollebat, sævissimam vastamq; eruditionem omnibus sa-
tis superq; probavit. Quodnam illustrius Regiæ erga ipsum cle-
mentie argumentum afferemus, quàm quod Anno 1654. Summi
eum Tribunalis, quod Wismariæ leges & jura Germanicis Sveciæ
provinciis dispensat, Vice-Præsidem eminentissimum constituerit.
Scilicet cū collocari in Tribunali Justitiæ imago deberet, quàm Chry-
sippus apud Gellium forma atque filo virginali, aspectu vehementi
& formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque
atrocis, sed reverenda cujusdam tristitiæ dignitate depingit, non
poterat illa aptius, quàm in Jctōrum Antesignano M E V I O N O-
S T R O adumbrari. Talis enim is Justitiæ Antistes erat, qualem
sub imagine illa intelligi voluit Chrysippus, gravis, sanctus, severus,
incorruptus, inadulabilis, contraq; improbos nocentesq; immisericors
& inexorabilis, erectusq; & arduus ac potens, vi & majestate æqui-
tatis veritatisq; terrificus. Excepit tantum hospitem debito honore
incolyta Wismariensis Civitas, quem nunc ereptum vehementer do-
let, & hoc etiam nomine acerbius luget, quod debitum Sacræ Regiæ
Majestati homagium ipsi Regiæ vices sustinenti alim præstiterit.

Anno

Anno 1657. à S. R. Majestate, DOMINO nostro clementissimo, ad
retundendos Danorum in Ducatum-Bremensem impetus & prohibi-
bendam inimicam ejus invasionem missus est ad Serenissimos Circuli
Saxonici Inferioris Principes, Postulatum Administratorem Magde-
burgensem Principem Saxoniae Hallensem, Duces Brunsvicensis
Wolferbytanum, Cellensem & Hanoveranum, & Casselanum Has-
sia Landgravium, cateroq; Danici belli tempore ab aeternae memoriae
gloriaq; Principe ac Heroe invictissimo, REGE & DOMINO No-
STRO AUGUSTISSIMO CAROLO GUSTAVO saepe ad
consilia, quae in DEI honorem, Principis gloriam, Patriae commo-
dum Sueticiq; Regni incrementum semper profutura suggesit, evoca-
batur. Anno 1662. ad ipsum Romanorum Imperatorem semper Au-
GUSTUM, LEOPOLDUM PIUM, FELICEM, praestandi homagii causa
ablegatus ita se gessit, ut fidei, temperantiae, prudentiae, animiq;
fortis & excelsi in oculis totius Germaniae pulcherrima documenta
dederit, Principisq; à quo missus erat, Majestatem gravitate sua &
recondita sapientia expresserit. Cum Anno 1663. in hac nostra
Pomerania Ecclesiasticus Politicusq; Status reformandus esset, Cel-
sissimus Comes & Heros DN. CAROLUS GUSTAVUS WRAN-
GEL, Svecici Regni Archistrategus, Patriae nostrae Pro-Princeps &
Academiae hujus Cancellarius Magnificentissimus, Dominus noster
gratiosus, & Illustrissimus Heros DN. PAULUS WURTZIUS,
S. R. Mitis Generalis & Pomeraniae Vice-Gubernator, beatusq; noster
MEVIUS jussu Sacrae Regiae Majestatis collapsa repararunt, tempo-
rumq; injuriis violata restaurarunt & homagium à tota hac Provin-
cia incolisq; ejus omnibus susceperunt. Anno 1667. Heilbrunnæ
gravia, quae inter Electores Moguntinum & Heidelbergensem erant
dissidia, jamq; in apertum erumpebant bellum, Regia Autoritate fe-
liciter composuit. Tantis laboribus periculisq; optimam retulit lau-
dis gloriaq; mercedem, prosperamq; sui apud seram posteritatem
promeruit memoriam. Audivit quidem saepius in publicis Legatio-
nibus insusurrantes; Hic est ille MEVIUS, nec tamen cum De-
mosthenes

moſt bene ſuſurris talibus delectatus, ſed aurium inflationem cum
 Tragico reputans modeſti animi limites nunquam tranſi-
 lit. Hac ſunt illa Virtutum, ſapientie & pietatis Beati noſtri
 MEVII exempla, quæ in publico Germaniæ Svecicæq; theatro edidit,
 nam quæ in vita privata domeſticis quotidie exhibuit, ſuperant nū-
 merum & hujus pagina ſpatium. Tres habuit Uxores, & cum o-
 mnibus placide jucundeq; dixit. Prior fuit femina lectiſſima,
JUDITHA Tancken/ Dn. Licentiat **Tancken/** Paſtoris a-
 pud Straleſundenses ad D. Mariæ meritissimi filia, quæ trium ipſum
 liberorum fecit Parentem. Natu major filius, quam dix ingreſſus
 erat, reliquit vitam; Due autem filie adhuc ſuperſtites exceſſum,
 optimi Patris piis lachrymis proſequuntur. Altera & natu major
ELISABETHA elocata eſt Viro Nobiliſſimo, Ampliſſimo & Excel-
 lentissimo DN. **GEORGIO ENGELBERTO,** Jcto & in hac olim
 Academia Anteceſſori digniſſimo, nunc Regii Tribunalis Aſſeſſori
 longè meritissimo; Altera autem natuq; minor **BARBARA** nupſit
 Viro Nobiliſſ. Ampliſſ. & Excellentissimo DN. **FRIDERICO**
KLINCOVIO, Regii pariter Tribunalis Aſſeſſori graviſſimo. Ex
 altera Conjuge, femina longè ſuaviſſima DN. **MARIA Mejerſ/**
 Viri Nobiliſſimi, Ampliſſimi Conſultiſſimi DN. **THEODORI**
MEJERI, Conſulis Straleſundensis & Conſilarii Provincialis
 filia, unicum ſuſcepit filium **FRIDERICUM,** qui in Acade-
 mia Tubingeniſi Patris & Majorum veſtigiiſ inſiſtens Jurispruden-
 tia ſtudia operamq; gnaviter locat. Tertio loco vite ſibi ſociam
 elegit Matronam ſexus ſui virtutibus egregie ornatam DN. **MA-**
RIAM Putschen/ DN. Lic. **PUTSCHII,** Celiſſ. Comit-
 Oldenburgensis Conſilarii graviſſimi filiam, quæ inſperatum Tanti
 Mariti obitum, ut decet piam Conjugem, deſtet, & debita exuviiſ
 ipſius juſta perſolvit. Septem ex ea liberos ſuſcepit, duas filias &
 quinque filios, omnes, uno excepto, adhuc ſuperſtites & Patrem Pa-
 trem Maximum immature amiſſum fruſtra inſclamantes. Tot li-
 berorum Patri mirum eſt tantam etiam librorum fuſſe curam, ut

non tantum sedulâ manu ab aliis scriptos evolveret, sed ipse quoque stupendâ industriâ, inter tot negotia, tot litium tricas, fecundo ingenio novos pareret & publica luci omniumq; censura exponeret. Extant ipsius Commentarii in Jus Lubecense, cujus postrema Editioni accesserunt Consilia. In manibus, in oculis omnium sunt Decisionum Summi Tribunalis libri, quorum septima pars jam sub prælo sudat. Discussio Levaminum inopia debitorum, de Arrestis, de Locutore & Conductore, de Rusticorum nostrorum conditione & juribus pro iis competentibus Tractatus magni meritò à nostris sunt. Ne quid de ingenti illo opere dicam, quod de Juribus omnium Gentium condidit, cujus sublimitas & utilitas è prodromo sub prælo jam gemente propediem eruditus constabit, ut ex ungue assument leonem. Præter quod immineant quoque Consilia, alii supersunt Ejus Tractatus, quos dubio procul blattis tincisve non immolabunt, sed in publicam lucem pii trahent heredes.

Quod ad morbum attinet, qui tandem quiescere laboriosissimum Virum jusfit, cœpit is Kalendis Augusti primùm animadverti. Ἀδωαμία παρὰ λόγον κενεαγγίον, virium jactura mox à primo morbi insultu absque prævia inanitione, καθὴν κατὰ φύσιν, propeusio ad somnum cum segnitie totius corporis, tantus esculentorum omnium βδελυγμός, ut nullis dapum & nociniis edendi prolubium passet revocari, Horror, Vertigo, Cator ob profunda ac sordida putredinis nimiam humiditatem μὴ ἐκ λάμπων, minusq; lucens exterius, quàm interius adurens, πῦρ ἐπιβρύχιον, ἀλαμπές ἔδεμν, ignis altè demersus, obscurus & acris Aretæo dictus, cum lingua & oris siccitate molesta, levi Paraphrosyne & loquela impeditiore statim prodiderunt malitiosam, vaserrimam atq; versipellam febrem. Quod si quis τεχνίτης primis hisce insultibus adfuisset, forsân in herba potuisset opprimi, quem invalescentem domare non licuit. Est quippe Medicina ὀλιγόκαιρος, & ut in Epistola ad Cratevam loquitur Hippocrates, ab omni arte aliena est procrastinatio, maximè verò à Medicina, in qua dilatio vitæ periculum

lum affert; temporum autem opportunitates curationum sunt anti-
ma, earumq; observatio finis. Si enim in therapia febrium pure
acutarum fugiende sunt comperendinationes, in cura certe mali-
gnarum promptissima celeritas etiam mora est. Momento enim
quolibet ocyus neglectum venenum humoribus partibusq; sese inse-
rit penitusq; insinuat, & quo segniores ciet turbas, eo res egrotantis
deteriore loco ponit, furtivaq; mansione firmiores radices acquirit.
Quarto morbi die cum ego vocatus accessi, Pulsus ordinatus, bonus.
Tussis. Difficilior anhelitus. Capitis sudor. Tres sinistra manus
digni crocata flavedine fugaciter tincti. Cum exponerem pericu-
lum morbiq; naturam nihil gravius metuenti dixi impetravi fidem;
Sumisit tamen quod pro laxanda alvo Tussiq; & anhelitus difficultate
mitiganda e Cremore Tartari, Aniso & foeniculo concinnaveram
medicamentum. Alvus quater soluta. Siccitatem oris Julebo hu-
meclavit ex Aquis acetosa Scordii, cum Syr. Berber. & Moror. Celsi
addito Confectionis Alchermes & Spiritus Oli tantillo. Quinto
Nox inquieta. Virium major jactura. Sitis. Oris siccitas.
Obiter, quod e pradio suo in hanc urbem conscicendum erat, non
nisi de Electuario roborante, & sitim fallente sumisit e Conf. cort. Ci-
tri, pulvere Casaris rubeo, Extracto Angelica, Cornu Cervino, Ni-
tro & Syrupo ex acido Citri. Cum in pensili teetog; curru huc ve-
nissimus, nihil ea vespera gravius supervenit. Prescripsi Julebum
Alexipharmacum ex Aquis Cardui benedicti, Scabiosa, Syrupo Ace-
tos. Citri, Succo Citri & Scordii, quibus Spec. liber. sine aloë pulve-
rem Bezoart. nob. & C. C. volatillam remiscui. Pedum etiam
pulsuumq; Epithema ex Anserina. Matricaria, Abrotano Aceto
Vini maceratis impositum. Sexto non nisi lassitudinem, soporem
fauciumq; siccitatem querebatur. Pulsus parvus frequens. Na-
ctus agrum obsequentiorum ex Aquis Card. bened. Scord. Syrupo
ac. Citri, Acetorubi Idai C. C. preparato, Spec. liber. s. al. & lap.
Bezoar Orientali potionem sudoriferam exhibui. Sudavit per ho-
ram largiter, & a sudore jusculo refectus est. Cordi Epithema ca-
lidum

lidum impositum ex Aqvis rosar. Acetosæ, Nymph. Aceto rosar. rubi Idei, Spec. Diamarg. frig. sant. Citrino, Camphora, Croco & Citri corticum pulvere. Septimo Nox ob plurimas phantasias inquieta. Sopor. Ab eo labor. Difficilis respiratio. Langvor. Pulsus sano similis. Urina aurea cum enaoremate núbilo portentoso. Ordinavi Emulsionem è semine Citri, Napi, Acetosæ cum Aqvis Card. bened. & Cinam. Diaborag. extractam, eiq̃ cum Syrupo Acetof. Citri gratiam cum Spec. liber. s. al. C. C. ppio, Bezoartico orientali lapide & Antimonio Diaphoretico debitam conciliari efficaciam, attamen non nisi in capite, pedore brachiisq̃ sudorem elicit. A meridie Mixturem roborantem è Conf. Alchermes, terra sigillata, Margaritis, Cornu Cervi & lapide Bezoar Aqvisq̃ Acetosæ, fragorum, Cardui benedicti & Syrupo acet. Citri paravi, cujus subinde particulam sumisit. Faucium impuritas, cum non admitteret Tonforis penicillum, injecta per Siphonem oris collutione depurata. Vesperis ob alvum pigriorem Clyster. Is copiosam pituitam & adustos humores magno cum levamine vacuavit. Octavo, Nox quieta. Lassitudo sola molesta. Hora V. pomeridiana Potiuncula sudorifera. Hora noctis duodecima cum se frigido exposuisset Anxietas & difficilis respiratio. Ab Epithemate tamen calidè præcordiis imposito rediit exoptata quies & omnia pacata. Nono, Urina eadem. Pulsus bonus. Calor acris. Lingva pura. Hora VI. matutina injectus Clyster vacuavit feces adustas. Decimo, Nox quieta. Calor tepidus. Urina vesicæ suspensum ostentans. Pulsus sano similis. Spontanea è vesicæ rorulentaq̃ subsudatio naturæ mordentis nihilq̃ promoventis langvorem prædens. Hac etiam die Tremor Manuum, Pavor in somno pessimo omine supervenerunt. Extractum Pæonia cum Alexipharmacis Cerevisiæ ordinariæ tenuiori inditum. Undecimo, Urina turbata quidem, sed turbida, nec post depositum crassum carneum & inæquale sedimentum superinclaruit. Pulsus

Sanus. Bibit Julebum. Duodecimo, Urina clara rubra. Pulsus parvus debilis. Injunctus Clyster largiter & cum euoocia vacuavit. Vesperis haustulus hidroticus. Decimo tertio, Nox quieta. Somnia non temeraria, sed, uti jocabatur, graditate sua commendata. Urina admodum rubra splendens cum enoeremate nebuloso. Pulsus parvus, humilis, tardus. Cutis manus frigido madore perfusa. Pavor in somno. Tremor & subsultus musculorum. A meridie Extrema frigida. Pulsus obscurus. Aurium susurri. Decimo quarto, Urina pauca rubra cum suspensio nubis portento. Pulsus nullus. Extrema frigida. Tremor & Concussio Artuum. Poxonia, Cinamomum, Scordium & Cervi Cornu opposita, sed omnino frustra, nam hora noctis media undecima sine omni cruciatu, & sita cum Martiale licet loqui, sine omni morte moriebatur. Dicitur non potest, quam patienter, quidquid eveniebat, tulerit, quamque parvi vitam banc aestimavit. Cum aliquando prater mentem excideret mihi, quod pro sinistri eventus omine interpretabatur, Noli, inquit, credere, quod mortem expavescam, nam ita vixi, ut mori me minimè querar. Ita igitur est, Cives, acta atas honestè ac splendide tantam affert consolationem, ut eos, qui ita vixerint, judice Tullio, aut non attingat aegritudo aut perleviter pungat Animi Dolor. Quod si Xenophontis instar, qui ἀξιόμνημόνευτα Socratis in literas retulit, illa saltem quis conscriberet apophthegmata, quæ sub brevi morbi decursu ex eo audivimus adstantes, parum aberit, quin justus inde nascatur liber. Sapienter & pie MAGNUS noster MEVIUS, donec licuit, vitam instituit, sapienter etiam DEO sic jubente reliquit. Nostrium jam est, ut beato Viro de vera felicitate, cujus desiderio in hoc mundo quam potuit optimè vitam transegit, & cujus nunc demùm fruitur voluptate, prolixè gratulemur, nec unquam Virtutum & Sapientiæ MEVIANÆ exuamus memoriam. Cùmque accepto à Majoribus more solenni Panegyri Vir Nobilissimus,
Amplis-

Amplissimus, Excellentissimus, Clarissimusq; DN. D. JOHANNES POMERESCHIUS, Jctus & Antecessor, Regi; Confessorii Director meritisissimus, solutâ, & DN. M. JOAN. ERNESTUS PFUELIUS, Humaniorum Professor Publicus, ligatâ Oratione Antecessoris & Senioris nostri, Viri de Academia & Patria hac universa optimè meriti, eximias Virtutes puriori, quo pollent, eloquio sint deprecaturi, hic quidem ea ipsa die, quâ Vismariæ corpus defuncti humabitur, iste verò octiduo post, aterque hor. 3. postmeridianâ; Vestrum erit, Cives, si sapientie, si justitiæ, si pietatis denique vos tangit Amor, ut frequentes concurratis & tanti Viri vitam prolixius intelligatis. Quotquot autem aliàs in hac Urbe sive justitiæ, sive pietatis studis præsumt, bonisve literis parteq; honestis artibus gloriæ favent, solenni huic actui interesse minimè pigrabuntur.

DEUS autem O. M. reddat AUGUSTISSIMO REGI NOSTRO FIDELI MINISTRUM, Summo ejus Tribunali æquè justum Vice-Præsidentem, huic nostræ Patriæ æquè honoratum Civem, & afflctissimæ Academiæ æquè faventem Patronum! Tu autem Sapientissima Anima, Have! & quod tantis desiderijs temper flagitasti inter brachia Redemptoris tui æternum gaude!

P. P. Gryphiswaldiæ XVII. Septemb. 1710 LXX.




Ambrosius, Excellensissimus, Christianus, D. N. JOHANNES
 NES POMERESCHILS, J. C. M. & Antecessor, Regii Consilii
 fori Director mercatorum, Johann & D. N. JOHANN ER-
 NESTUS PERLINS, Hunc auctorum Professor Ruffinus, si-
 cuti Orationis Antecessor & Senator noster, Vni de Academia
 & Parisiæ hunc auctoritatis optimis meritis, examina Virtutes purioris,
 pro peccatis, sed quæ sunt de peccatis, hic proinde ea ipsa de-
 quæ Vniuersitatis corpus de hunc mandatum, hic pro obsequio post
 in hoc hoc, & postea videtur; Vnum cum Civis, si sapi-
 entes, si iustitiam, si pietatem de magis nos tangit amor, in fre-
 quenter concurrens & tantum pro bonis prolixius intelligit.
 Poterat autem illis in hoc libro sic iustitiam, sic pietatem
 hanc pro eam, bonis illis partem bonis actibus gloria sa-
 dent, sed hunc hunc actum esse minime pigrescentem.

DEUS autem O. M. sedet AUCUSTISSIMO
 REGI NOSTRO FIDELI MINISTRO,
 Summo eius Tribunali & quæ iustum Vniuersitatis
 hanc nostræ Parisiæ & quæ honoratum Civem, & affi-
 cillimè Academicæ & quæ faventem Patronum! Tu
 autem sapientissima Anima, Habet & quod tantis
 debentis semper sagittis inter brachia Redem-
 ptoris tui eternum gaudet!

P. P. Gryphuscula X. V. II. Septemb. cl. lxx. lxx.





Amplissimus, Excellentissimus, Clarissimus
NES POMERESCHIUS, Jctus & A
storii Director meritisissimus, solutâ, &
NESTUS PFUELIUS, Humaniorum
gatâ Oratione Antecessoris & Senioris
& Patria hac universa optimè meriti, e
quo pollent, eloquio sint deprecaturi,
quâ Vismariæ corpus defuncti humabit
uterque hor. 3. postmeridianâ; Vestra
entia, si justitia, si pietatis denique v
quentes concurratis & tanti Viri vita
Quotquot autem alias in hac Urbe
studis præsumt, bonisve literis partag
vent, solenni huic actui interesse minin

DEUS autem O. M. reddat
REGI NOSTRO FIDELE
Summo ejus Tribunali æquè just
huic nostræ Patriæ æquè honora
tissimæ Academiæ æquè fave
autem Sapientissima Anima, H
desideriis temper flagitasti int
ptoris tui æternum

P. P. Gryphiswaldiæ XVII. Septe



JOHAN
gigi. Consi
AN. ER
ublicus, li
Academia
tes puriori,
ipsa die,
tiduo post,
es, si sapi
or, ut fre
intelligatis.
sive pietatis
s glorie fa
r.

ISSIMO
STRUM,
ræsident,
, & affi
num! Tu
od tantis
Redem-

LXX.

